



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Lib. XIX. Aquila.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

- A** drachmæ duæ ex Vulturis simulacro significantur. Sanè verò, siue numus hic fuerit duabus drachmis imputatus, qui Vulturis imagine signaretur, siue alia fuerit ejus nota, illud manifestum est, Didrachmam apud veteres numi pondus fuisse, quem suo nomine Siclum Hebraei vocabant, qui quidem 20. obolis imputabatur; frequentissimusque est hujus locutionis usus in Divinis literis, ut alii siclum alii Didrachmam ponant. Nam Levit. capit. 7. supra 20. ubi Legislator, pretium ponit quo se redimere possit, is qui honorem animæ suæ Deo voverit, legas, à quinto anno ad vigesimum qui se Deo usus. *Didrachma* voverit, siclis viginti posse redimi. LXX. Interpretes, viginti didrachmis reddidero. Ita illud pretium masculi à vigesimo anno usque; ad sexagesimum, quinquaginta sicli argenti ad mensum Sanctuarii, idem LXX. transtulerunt, quinquaginta didrachma, & multa passim hujusmodi. A deo vero illis ardebat Didrachmæ vocabulum, ut si Drachma una esset enuncianda, Didrachmæ dimidium potius quam Drachmam unam, aut sicli dimidium ponerent; cujus facti rationem, & cur hoc pondus Sanctum appellaretur, legas apud Hierosolymitanum Hefychium, libro ejus 7. in Levit. c. 27. Atque ut hujus monetæ pondus ad temporis nostri usum deducamus, sciendum Obolum ejus pretii esse qui Romæ nunc literis aliquot immutatis Baliocus, quasi obolicus dicere velint, appellatur. Drachma verò pondus est ejus numi, qui Romæ Julius hodie vocatur. Venetiis Marcellus argenteus ejusdem ferè ponderis est, uti etiam Ferrariæ atque Mantuæ vulgo Buxoloti nomine. Aureus quoque numus drachmæ ferè pondus æquat, atque ita siclus argenti vel didrachma, uno Mocenico Veneto imputatur qui proximè accedit ad Julios duos: non enim hæc ad unguem explanari possunt, propter locorum varietatem, quia Juliæ monetæ Romanæ pretium, extra Romanæ Pontificiæve ditionis loca, minoris quam Romæ æstimatur: contra Mocenicus, moneta Veneta, extra Venetorum ditionem pretiosior est quam apud ipsos, vel eorum socios. Aurei quoque tam pretio variant, quam varii sunt qui eos cudunt Domini: Sed ponderis in eodem genere parva admodum differentia. Atque hæc sunt, eruditissime Præsul quæ doctrinam Ægyptiorum secutus super Vulture conscripseram: nescio an plura in archetypo fuerint, quem surreptum initio conquestus sum; puto tamen hæc ad hujusmodi mysterii cognitionem factura satis. Multa vero de industria præterii, veritus ne nimia prolixitas delicatioribus fastidio esset: & otii quod mihi exiguum concedebatur, habenda ratio fuit, cum multa alia, ac pene innumera sint in hujus generis commentaria, si per otium licuerit, redigenda, ut amicis argumentum hoc, vix ulli hæcenus attentatum, deposcentibus, quantum pro tenuitate mea præstare potero, satisfaciam.

JOHANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

LIRER XIX.

DE IIS QUÆ PER AQUILAM
SIGNIFICANTUR.

D Ex sacris Ægyptiorum Literis.
AD CLARISSIMUM ABBATEM D. PALUM
JUSTINIANUM.

Summum ingenii tui acumen, suavissimi mores, incomparabilis benignitas & eximia in amicos omnes liberalitas effecerunt Paule Justiniane vir rarissime, ut Aquilam tibi ex aviaria meo Ægyptiaco dedicare cogita verim: quippe quod tu alitis hujus plerasque, ut ita dicam, virtutes, aut excellenti natura dotes, præ te ferre mihi compertus es. Sed potior nimirum causa fuit quod Justiniana familia gestamen est Aquila aurea, quia scilicet progeniem hanc ex Justiniani Imper. sanguine deduci, omnibus

Ff

mnibus

mnibus est exploratissimū, celeberrimi illius inquam imperatoris, qui Byzantii præcipue claruit, & uniuersis præfuit Orienti. Illi siquidē Aquilæ insignis auream præferebant, qui Orienti præerant: qui vero Occidentis, quod in hanc usque diem continuatur, fusi. a autē, bicipitem utramq; , sed uno tantum corpore conspiciant, quod hieroglyphicum erit administrationem atq; potentiam in duos diuisas, unius tamen esse consilii atq; unitatis. Ex ea vos progenie progreffi, in Venetiam, nobilitatem cooptati, regias virtutes esse vobis per actas singulas testatissimum effecistis. Fabiorumq; Romanorum exemplo, bello Hierosolymitano pro Christiana pietate contra barbaros fortiter dimicantes, in acie ad unum casti, mox uno tantum, qui Venetis superent, vitamq; calibem Deo vouerit, rogatione Senatus ad maritalem copulam compulso, reperta familia ex qua brevi post tempore tot illustrium Senatorum effulsero lumina: Marcus Iustinianus, summa vir probitatis; Beatus ille Laurentius, sacra licentiam scripturæ, nobilitate, sanctitate vite insignis, & primus Venetiarum Patriarcha; Leonardus Divi Marci procurator, Græcæ Latinæq; literis ornatus: adde Bernardos, Ursatos, Procuratores ipsosq; , & honoratissimis legationibus functos: ultimum hunc insuper vigilantissimum classis Venetæ Imperatorem: acie vero nostræ Sebastianum & Antonium literis & disciplinis eximios, qui legationibus ipsi etiam ad summos quosq; , principes felicissimè administratis, patriæ charissimi gentis huius splendorem offusari minimè permiserunt. Tuam autem hereditariam illam à maioribus tuis acceptam proletem, & à te studiosissimè cultam, applicarem, quam Venetia prædicant, adminata est Patavium. Gallia vero uniuersa & ubi ubi literarū studia florent, omnes gestiunt celebrare: sed de re omnibus manifestis, ne admodum agam, neve modestiam offendam tuam, qui magis probus esse, quam videri, longior non ero. De te cor quid reliqui summis laudibus efferant, non tibi, sed seculis spero me aliquando in propatulo positurum. Nunc ad Aquilam aggrediamur.

DE AQUILA. CAP. I.

Aquila
commen-
datio.

Aquila, ut hinc exordiar, non temerè cognomento Romana meruit appellari: cum nulla fere fuerit in uniuerso terrarum orbe pars, qua daretur accessus, quam auspiciatissimo ductu Romanæ non subjecerit authoritati. Quamvis non sum nescius, Perfas multo ante Romanos auream Aquilam pennas extendenti similem sacrasse. Huic autem uni alicui, atatum & aruspicum omnium consensu, id honoris datum, ut magnarum rerum prosperi semper eventus significatione, auspicia faceret, Buteonem Sanqualin. Immusculum ac Vulturium longe anteiret: reliquarum verò volucrum essentia, quæcumque oblata essent, interventu suo aboleret, neque per aerios tractus omnes, ulli cederet, quam fulmini. Cum vero auspicia portentaque omnia fere similes quasdam habeant significationes eum Ægyptiorum hieroglyphicis, & manifesta inter se germanitate consentiant, non abs re fuerit in Aquila primum auguria, mox hieroglyphica percurrere: ut hoc honoris ei tributum, cuius est in auguriis prærogativa.

RERUM PROSPERITAS. CAP. II.

Ex Aquila
gestu varia
auguria.

PRÆCIPUUM itaque ejus significatum est, ut oblatam diuinitus prosperitatem ostendat, quod jam inde initium sumpsit, quod Anacreon author antiquissimus scribit, Iovem aduersus Titanas profecturum, sacrificium Cælo fecisse, Aquilæque volatum prospero ei auspicio victoriam portendisse: quæ cum subsæcuta esset, insigne bellicum auream inde Aquilam gestasse. In huiusmodi autem auguriis id veteres observabant, ut quo gestu Aquilam spectassent, magni dicerent interesse. Nam si volantem conspexissent, faustissimum & citra pulverem augurium putabant, uti Aræxion Parrhalius indicavit Xenophonti expeditionem in Bithynos agitantis. Sin vero sedentem animadversissent, magnum omnino esse augurium, præclareque rei alicujus indicium, in qua tamen peragenda laboris plurimum esset ad eundem: propterea quod sedentem aquilam aves reliquæ infestare consueverunt, cuiusmodi augurium eidem Xenophonti tunc oblatam est, cum Ephefo ad Cyrum iter arripere: dextera enim Aquilæ, quæ sedebat, obviam factus futura: celebritatis, magno tamen labore comparandæ, ut postmodum probavit eventus, omen accepit. Nimirum autem illud in Aquila præcipue admiratione dignum est, quod una omnium animantium idem apud gentes nationesque omnes semper indicarit, cum pleraque alia ita vel populorum vel gentium certarum propria fuerint, ut quanto

A huic vel illi felicitiora portenderent, inausulta aliis & ærumnosa magis minarentur, quæ locis quæque suis toto opere commonstrantur. Verum Aquila, cui non semper prospera felixque fuit? Quæ bella umquam hominum memoria depugnata sunt, in quibus illa fuerit otiosa? sive quis Astyriorum, sive Medorum, sive Persarum historias percurrat: sive Græcorum, atque adeo Macedonum monumenta resque præclare gestas memoraverit: sive Romanorum, qui mox omnium exceperere gloriam, famam celebritatemque, & sublimem felicitatis apicem, admiretur? Apud hos autem quid umquam Aquila frequentius? quid honoratius? quid umquam sacratius fuit? Sed ut ab externis ordiamur, quanta illud admiratione dictum, quod Aquila currus Gordii, pauperis alioqui viri, iugo per totum diem infedit: unde Phrygiæ regnum Midæ ejus filio præmonstratum. Vel illud potius, quod cum apud Argivos Heraclidarum familia defecisset, ex qua Regem eligere mos illis antiquitus fuerat, qui Rex creari deberet per oraculum sciscitantes, responsum acceperunt, Aquilam id ostensuram, paucis; admodum post diebus, Aquila superne delapsa super Ægonis domo confedit, atque ita omnium consensu Ægon Rex creatus. Hieroni quoque Siculo admodum adolescenti, privata fortuna homini Aquila, quæ primo bello quod inivit, in ejus clypeo resedit, Regem eum aliquando futurum indicavit. Vulgatissima ea sunt quæ de Tarquinio Prisco memorantur, cui Romanam migranti Aquila pileum ex itinere abstulit, futuri, ut Tanquil uxore interpretata est, principatus augurio. Quin & Diadumeno Macrini filio in agro ambulanti, Aquila pileum abstulit, quem in capite cujusdam regie statuae deposuit, id honoris aruspibus adolescenti pollicentibus. Et quoniam in nostra devenimus: C. Marius cum nidum Aquilæ cum septem pullis puer adhuc in agro reperisset, eumque gremio susceptum ad patrem detulisset, is admiratione motus, consultis aruspibus, septies penes filium rei tummam futuram accepit, quod in tot, quos gessit, consulatibus apparuit, quos eo numero primus omnium allecutus est. Quamvis Plutarchus, notatur.



Jul. Obscruens de prodigiis.

C Romanorum quodammodo hostis historiæ, rem ideo fabulosam existimat, quod authores tradant Aquilam non ultra duos parere, tamen Musæus dixerit ab ea tres excludi, unum ali, duos abdicari: Cui responderi potest, id ostento fecisse fidem, quod & patri admirationem incusserat, præter morem septem genitos: illi enim portentosi partus Varroni nostro sunt, qui longè morem excidunt, uti porca quæ triginta capitum foetus enixa, Ænæ augurium didit. Cæterum, quod ad numerum facit hujusmodi, Albino etiam septima postquam natus est hora, convivio quod ejus celebritati deputabatur, cum ei fierent nomina, septem Aquilæ parvulæ de nidis allatæ sunt, & quasi ad locum circa cunas pueri constitutæ: quod omen pater eo proclivius admisit, quod rarissimum est in illis regionibus ubi Hadrumentum, hujus natale solum in Africa, videre Aquilas. In hujusmodi ostentum accepit Octavianus, quod sibi ad quartum lapidem Campanæ viæ in nemore prandenti, Aquila ex improvise panem de manu rapuerit, cumque altissime volasset, rursus ex improvise leniter delapsa reddiderit. Eadem numquam antea Rhodi conspecta, ante paucos dies quam Tiberius inde revocaretur, felici admodum auspicio in culmine domus ejus assederat. Et Claudii, qui diu inter ludibria aula fuerat, sub Cajo demum fratris filio Consulatum adepti, quamprimum cum fascibus ingressus est forum, prætervolans Aquila dexteriore confedit humero, indicio futuri apud eum Imperii manifesto. Acie autem Bebryacensi, priusquam concursum esset à militibus, Aquilæ duæ in conspectu omnium confligere, victaque altera, tertia sub venit à solis ortu, quæ victricem abegit. Ita duobus inter se decertantibus, Imperatoribus, Vespasianus, qui Orienti præerat, rerum potitus est. Quin & Maximo, qui turbulentissimis Reip. temporibus Imperator electus est à Senatu, ut Maximini obviam iret crudelitati, quamvis humillimo genere nato, patre quippe plebejo homine, arte ferrario, vel ut alii dicunt, carpentario, auspiciis Imperii dederat Aquila, cum eo nato carnem bubulam, & quidem multam in ejus cellam projecisset, quæ angusto patebat impluvio eam denique cum jaceret, nec quisquam auderet attingere religionis timore, iterum

Plutarchus notatur.

Qui partus portentosi.

Sueton. in ejusdem vita c. 94. Sueton in Tiberio c. 4.

rum sustulit, & in proximum facellum, quod erat Jovis Præstitis, detulit. Eadem ostento hujusmodi infantem adhuc Aurelianum vincum fasciola sine ulla noxa de cunis sustulit, & in aram quæ juxta facellum fortè sine ignibus erat, deposuit. Verum hæc temere fortè accidere potuerunt, cum nulla non die ignobilissimis etiam viris Aquilæ sese ostentent, & his etiam admirabiliora nonnunquam faciant, quorum tamen nemo ullam assequitur celebritatem. Ostenta in aliis observata, quod eorum qui ad aliquam rerum amplitudinem evehuntur, dicta factaque omnia, quantumlibet levia repetuntur, & oraculorum instar in acta referuntur. Sed demus hoc contentiosis, Illud puto non negabunt alicujus esse momenti, quod Aquilæ gerendis rebus tam sæpe se duces exhibuerint, & quasi divinitus missæ, vel quid agendum ostenderint, vel quo res evasuræ essent præmonuerint. Cum natus esset Alexander Macedo, Aquilæ duæ tota ea die prepetes supra culmen domus infederunt, omen duplicis Imperii, Europæ Asiæque præ se ferentes. Ea autem quæ à classe in continentem progressa, ibique firmata, augurio fuit, Persas terra, non mari debellandos esse, Alexandri ipsius interpretatione, locus quam Parmenio sentiret. Et difficillimo eo prælio, quod cum Darianis apud Arbellam commissum est, quo nullum umquam acrius inter eos fuit, Aquila paululum supra caput Alexandri placidè volitare visa, nec armorum sonitu, nec gemitu clamoreve ullo morientium territa, diuque circa Equum ipsius regis pendenti magis quam volanti similis apparuit, præfatio, vel indicatione potius, quæ res evasura esset manifestissima. Augurium hujusmodi legas apud Tacitum Fabio Valenti oblatum. Cum is exercitum in bellum ageret, ipso profectionis die Aquilam leni meatu, prout agmen incedebat velut ducem viæ provolasse, longumque per spatium, nullo gaudentium militum clamore augurium accipientium, & alitem salvere jubentium, terrefactam, ita iter continuasse, ut haud dubie magnæ & prosperæ rei omen acciperetur. Ejusmodi auspicii lætitia Vitellio fuit, copias adversus Othonem præmittenti, siquidem, à parte dextera repente Aquila advolavit, lustratisque signis ingressos viam sensim antecessit. Et memorabili ea pugna, qua Lucrorum, xv. millia tantum ducenta & viginti millia Crotonensium profligarunt, qua pugnabant parte Locri, Aquila ab acie nunquam recessisse fertur, eosque tamdiu quoad vincerent circumvolasse. Quid, quæ Deiotaro Regi augurium dedit, ex itinere divertendum? cui ille obsecuturus cum esset, conclave mox illud, ubi Rex mansurus erat, si ire perrexisset, proxima nocte corruit, Eadem Mario reditum cum summa gloria triumphæbundum pollicita est, cum Anguem arreptum unguibus dilacerasset, & in aquas abjecisset & in occesum inde versus abvolasset: quæ Cicero luculentissimis carminibus in Mario decantavit.

Val. Max.
1. cap. 5.

IMPERATORIA MAJESTAS CAP. III.

OMNIBUS igitur nationibus & gentibus Aquilam in ostentis Imperii magnitudinè portendisse, multis exemplis apparuit. Cæterum cum multæ sint Aquilarum species, eam Aegyptii Sacerdotes in regio hoc significato deligebant, quæ à nigricanti colore Fulva potest appellari: hinc enim Rex deorum Jupiter, regnum, ut Horatius ait, *permisit in avis vagas*: in ea regiæ virtutes omnes elucescunt: quippe quæ viribus omnium præstantissima una fetus suos alit atque educat: una pernix, concinna, polita, apta, intrepida, strenua, liberalis, minimè invida, minimè petulans, verum quadam etiam modestia prædita: ea non clangit, non lippit, non murmurat, sed regios denique mores, regiam prorsus majestatem in omnibus imitatur. Quinetiam, invenias homines et naso præditos, cujusmodi Aquilæ rostrum est, pro regiis æstimari solitos. Quod Plato tradit, & Plutarchus receptum asseruit, Persæque hominum id genus mirum in modum commendabant, ejusmodique fuisse Cyrum historiarum authores tradunt, atque ea se specie factum gloriarum solitum. Sed quoniam rostri ῥοστρον illud est, quod isti regium existimant, animadvertendum duplex esse ῥοστρον genus unum cui à fronte statim nasis insurgit, id impudentis animi signum ponit Aristoteles, similitudinemque eam ad corvum propius accedere: alterum, cui nasis curvatura separatur à fronte, circaque medium intumescit, & in unci speciem exit. Hoc esse magnanimitatis indicium & ad Aquilam referri, Philosophus idem tradit. Merito itaque Pyrrhus quoque multis à se rebus magnificè pleraque gestis, Aquilæ cognomento plurimum gaudebat: quamquam ea erat modestia, ut non omnem sibi rerum gestarum gloriam usurparet, sed bonam ejus partem in similes transferret.

Fulna super
omnes A-
quila babi-
ta.

Nasi Aquila
lini Typus.

A ferret. Nam cum aliquando rebus bene gestis domum redisset, illumque milites Aquilam appellarent: *Pervos*, inquit, *Aquila sum, qui vestris armis veluti pennis sublevor*. Vidimus ejus numum, in quo Aquilam cum fulmine sub pedibus jacentem, & ramis duobus quernis in coronâ flexis, cum inscriptione ne Dorica, ΑΓΓΕΡΩΤΑΝ: ab altera parte caput est, quod alii Jovis, alii Pyrrhi ipsius esse dicunt: nam inscriptio Epirotarum videtur ad Regem spectare. Quem vero corona, quæ apud Romanos hieroglyphicum ejus est cui civem servavit, in hoc numo glandes Chaonias, & oracula Jovis Dodonei significare potest. Apud Pindarum legas Aquilam ita volucrum reginam ab Jove declaratam, veluti Delphinum piscium, utriusque pernicitate genus omne suum exuperante. Hinc idem ait, Aquilam in sceptro Jovis præfigi solitam. Neque vero mirum, Pindarum ubique honoris tantum Aquilæ tribuisse, cum Aquilæ apud Thebanos non aliter inter numina colerentur, quam Cynocephali, Crocodili, & alia quædam bruta apud Ægyptios in cultu fuere, & ut sumus passim totis his Commentariis ostensuri, pro Diis habita.

APOTHEOSIS. CAP. IV.

B Cum igitur Imperatorem atque Regem Aquila describeret, eorum etiam justis dedicabatur, qui filiis superstitibus decedebant: eos enim inter divos referre mos erat: cujusmodi morem Herodianus in Severianis justis latissime profequitur, ex quibus Aquila, simulac ignis pyre subiecto esset, ex intimo suggestus tabernaculo emittebatur, qua Principis animam in cælum referre videretur, eamque in numismatis videre est, nonnunquam cum spoliis, nonnumquam cum fastigio: sic enim suggestum illum, in quo cadavera Principum cremabantur, Cicero videtur appellasse, cujus formam apud Herodianum legimus, & in plerisque, & in plerisque conspicimus. Usque adeo vero sunt Imperatoribus Aquilæ dedicata, ut ne in extremo quidem vitæ eos deseruerint, deque cælo, quibuscumque modis possent signa dederint, si qua posset ad salutem via præmuniri. Nam eidem Imperatori Severo signa mortis attulerunt Aquilæ quatuor, quibus sibi visus est per nocturnam imaginem in cælum rapi. Et Octavianum Augustum, cum lustrum in campo Martio magna populi frequentia conderet, Aquila sæpius circumvolavit, transgressaque in vicinam ædem, super nomen Agrippæ ad primam literam sedit, unde aruspices interpretati sunt, eum paulo post moriturum, quod haud ita multo post eventus comprobavit. Videre autem est in numo, cujus inscriptio est DIVI AUGUSTI PATRIS, Aquilam igni subiectam, quod ego ad justa ejus retulerim: quamvis nonnulli sacrum esse putant, propterea quod Imperatoria, quæ Græci Hecatomben appellant, ex centum Leonibus & centum Aquilis celebrata fuerint ab aliquot Imperatoribus, & à Græcis etiam, quod tradit Julius Capitolinus in vita Maximi & Balbini. Sed nihil hoc ad Augustum, de quo nihil tale memoriæ proditum. In numo, cujus inscriptio est, DIVUS PERT. PIUS PATER, Aquila est pilæ insidens, quasi eum supra cæli convexa sublatum esse velit innuere: nam altera inscriptio



Aquila principum justis dedicata.

C est. CONSECRATIO. Atque hæc in divi M. Antonini Pii numis multipliciter habetur, nonnunquam cum fulmine, nonnunquam etiam Antoninum ipsum inter alas gestans: nonnunquam vero cubicularem lectulum in cælum tollens, cum inscriptione, CONSECRATIO. Qui Bellunensi in agro reperiuntur argentei, ex uno latere pulcherrimum ipsius Antonini caput habent cum inscriptione DIVUS ANTONINUS, ex altero Aquilam aræ rotundi ambitus insidentem, inscriptio, CONSECRATIO. Verum etiam in Vespasiani numi Aquila est quæ pilam gestat, atque ejusdem alis tabernaculum corymbis & fertis redimitum. In Hadriani numis aliquot, Imperator ipse sceptrum ab Aquila recipere videtur, quasi illi ab Jove delatum esset Imperium, quod & inscriptio declarat, PROVIDENTIA DEORUM. In numo divæ Sabinæ Augustæ Aquila est cum fulmine, & inscriptione, CONSECRATIO, quamvis in seminarum justis Pavo, non Aquila, est adhiberi solita: de quo in Pavonis commentario.

Propter perspicacitatem, utinam non propter rapacitatem. Suetonius in Augusto. Octaviani Augusti numus.

perstinacia numus. Antonii Pii numus. Adriani numus. Sabinæ Augustæ numus.

*Ciffra
aitha*

SEd jam nos appellant Aquilæ virtutes, illaque in primis, quod pium & misericordem Regem, qui scilicet victum & necessaria inopibus erogat, ostendere qui volunt: Aquilam eam proferunt, quam à vigore, quo egregie prædita est, Ossifragam appellant: ea enim pullos, quos sub Aquila, vel montana Ciconia, invida illa inquam, & famelica, quam Græci *γυπαετός*, nostri aliquot vulturnam aquilam nuncupant, nido ejicit, parentes adhuc operam desiderantes, cum volandi facultatem nondum adepti fuerint, ad se recipit, atq; educat, benigneq; tuetur, dum quantum satis sit adoleverint.

BENIGNITAS. CAP. VI.

*Virginis
cedes.*

QUÆ quidem mansuetudo fecit, ut juniores (nam apud Aegyptos commentum hujusmodi non inveni) si benignitatem commodissimo hieroglyphico explicare vellent, Aquilam cum alia quavis alite ex eadem olla cibum capientem fingerent. Sed quoniam in Aquilæ benignitatem incidimus, missum illud facere non possum, quod admiratione dignum apud Plutarchum legi, ut si cui argumentum placuerit, totius historię scenam sibi pingendam curet. Cum pestis olim Lacedæmonia exhauriret, oracula monuerunt mali vim cessaturam, si quotannis nobilem aliquam virginem immo lassent. Obsecuti Lacedæmonii, oraculi fidem approbaverunt. Forte vero evenit, ut Helena fors obtigerit, quæ cum mactanda duceretur, Aquila devolans sacrificii gladium abripuit, & ad armenta delatum super juvencam demisit, cujus prodigii argumento *πυρρανοκτονία*, id genus sacrificii sublatum est, quod memoriæ prodidit Aristodemus. Idem olim evenisse Romæ in Valeria Luperca & eadem de causa, tradit Aristides Italicarum rerum volumine decimonono, quem idem Plutarchus citat.

RELATA GRATIA CAP. VII.

CRATES vero Pergamenus, quod & Stesichorus Poeta poemate profecutus est, historiam ab ejusmodi beneficentia non absimilem recitat. Nam cum decem & sex messorum quendam è focis aquatum mississent, reperit is apud fontem Serpentem, qui complexus Aquilam arctissimis eam spiris implicitam suffocabat. Ille, ut falce messoria armatus erat, audacter progressus ferro Serpentem dissecuit, Aquilam liberam abire permisit: cumque hausta in urnam aqua redisset, sociis singulis poculum ministravit, mox cum & ipse quæque bibere vellet, præsto adfuit Aquila, quæ poculum ab ore dispulit ejectum procui, dumq; messor factum miratur, & Aquilam quam probe noverat, increpat, eamq; apud socios ingrati animi ream agere meditatur, videt eos & hic & illic concidentes vitam exhalare: unde simul & aquam quam illi biberant, veneno infectam, & se periculo subductum intellexit, beneficiumque in volucrum optime collocatum, manifestissime cognovit.



CONVITIORUM CONTEMPTOR. CAP. VII.

*Aut Aquila
la culicem
a hinc
vltu lauida
sub non cu
n. i. Pygar
qui dicit.*

QUANTUM vero illud est, & vere regium, quod Aquila est convitiatorum contemptrix? Unde nonnulli commenti sunt Aquilam figurare statu immobili concidentem, nulla pennarum alacritate terribilem, neq; hiatu rostri minacem, juxta hanc Cornicem submittere, eo gestu, ut lacerante, & conyitia facere videatur, si convitiatorum contemptorem hieroglyphice referre voluerint. Conyitiam enim ajunt solere Aquilam lacerare, & in certamen quodammodo provocare: illam vero, non plus Cornicis conyitia & importunitatem facere, quam Elephas Culicem.

PATER.

PATERNA DIFFICULTAS. CAP. IX.

A Sedenim ab his diversa ponere videntur Aegyptii sacerdotes, qui morosum patrem, & difficilem admodum in filios, per ejus generis Aquilam cui Pygargo nomen, ab albicanti cauda est, significari voluerint, sive hac γοργαυσις sit, de qua superius: ea enim maxime omnium animalium pullos fastidit suos: ut non immerito Plotinus eos, qui sine ratione modoque civitates atq; imperia gubernanda regendaq; susceperint, post obitum per πάλυρνεστια Aquilas fieri dixerit. Damnat & Bassius in in hoc ingenium Aquila, & educanda prole sua iniquissimam appellat.

SOLITUDO REGNI. CAP. X.

Quod vero per Aquilam regni solitudinem intelligimus, sunt qui factum ea ratione defendant, quod regium esse dicant, unum e filijs haeredem instituere, uni rerum habenas commendare, quandoquidem ait Ovidius,

Non bene cum socijs regna Venusque manent.

B Et apud rerum scriptores quotidie legimus, potentissimas urbes everfas, clarissima delata regna, illustres familias extinctas, & in populos omnia malorum genera debacchari coepta, simulac potestas regia pluribus fuerit communicata. Quinetiam Isocrates, quamvis de regimine multa quoquo verbum disputet, & nunc huic, nunc illi rationi favere, pro loco quem tractandum sumpserit, videatur aequabiliorem tamen civibus, monarchiam ostendit: propterea quod illa ambitiones, omnium popularium dissensionum semen, extinguat, quod cum Aristoteles quoque mirum in modum approbaret, Homeri sententiam secutus, quod disputationibus suis pondus adderet & auctoritatem, verbum ejus citavit:

*Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἰς κοίραν ἑπὶ
Εἰς βασιλοῦς,
Multos esse duces baudquaquam proderit: esto
Rex unus.*

Non indecenter igitur Aquila, ut vulgato per Aristotelem Musaei versu fertur,

Tres parit, atque duos nido ejicit, educat unum.

C Sed, uti superius ostendimus, specierum diversitas in eo genere efficit, ut contraria super alitis natura auctores scribere videantur. Utcumque vero, educationis hujusmodi ratione habita, per Aquilam pullum solitudinem interpretabantur.

PERNICIOSA POTENTIA. CAP. XI.

Quinetiam iidem sacerdotes Aegyptii potentiam cujuspiam, quae socijs & amicis omnibus perniciofa esset, per Aquilam pennas significabant. Hujusmodi siquidem ea vis est, ut aliarum avium plumas, si commisceantur, interterere, & quodammodo devorare videantur, quod & in tergoribus Pantherae atque Hyenae idem tamen fieri compertum est. Pantherinum quippe tergus Hyenae cedere suo loco diximus. Eandem inter juglandem & quercum antipathiam esse, scribit Plinius, tanto quidem naturae dissidio, ut si quercus juxta nucem juglandem sata sit, profus emoriatur. Est & illud huic miraculo perquam simile, quod de cardamo fertur. Oulus id apud Persas usitatissimum, cuius natura est, humorem omnem terrae ad se ita attrahere, ut reliquae circumpullulantes herbae cogantur exarefcere: de quo proverbium est apud Aristophanem. Id alio vocabulo Scaphon vocant, libe-

*Pennarum Aquila vis.
Hinc Cael. Rhod. Cardamo simili in praepotentes, Diosc. lib. 7 c. ult.*

Dris est Dioscoridi, Aegyptiis Semeth, Nasturtium Romanis. Causam vero super Aquilae pennis Philosophi commentantur, quod cum avis ipsa sit omnibus alijs infensa, derivet vis ipsa animalis in res quoque ejus inanimas, per sympathiae contagionem. Alii pestiferam maleolentiae vim quandam inesse aliti deprehendere, propter quam tacta ab ea facile computrescant, indicio esse reliquias ejus hesternas neque ab ea ipsa, neque ab alio quopiam animalium repeti. Permeare vero contagionem eam etiam in pennas, quae alienas juxta se positas adurere propemodum pro comperto traduntur. Ita ejus, qui rerum summa potatur majestas, fulgore suo reliquos obscurat, & veluti micantissimum Solls jubar, ubi exortum fuerit, lucem omnibus stellis intercipit. Objiciunt alii hoc in multorum Principum tyrannidem & rapacitatem, quibus non sine rerum tuarum jactura possis adhærescere. Quomodo cumque autem cuiuspiam acceperit, natura hoc comparatum, ut debiliora validioribus absumantur,

ERUDI-

IN Divinis literis, quæ rem hanc austerius tractant, Aquila, Gryphus, Haliaëtus, & Milvius rapacitatem significant, & à sacris ut immunda rejiciuntur: per quas alites, ut signat Hefychius, intelligimus eos, qui cum sublimia quidem perscrutari videantur (cæli quippe motus & rationem stellarum situm atque naturam, quæque superioribus in elementis igne & aere sunt varietates, contemplationi vigiliisque non sua tantum causa sed aliorum etiam institutionibus dediti) vita tamen & impudici sint & malefici, dum vel insidias aliis intendunt, vel fordida quæque convenantur, suarum ita rerum satagentes, ut ad commoditates suas omnia contrahant, inexplabilemque avaritia æstuantes, non suis tantum fruuntur, sed imbecilliorum quoque bona diripiunt, qualem Hieronymus notat sibi de Vivendi forma, ad Rusticum monachum, super Eremita quodam, qui publicas privatasque elemosynas in suum & suorum tantum usum verterat. Ita enim scribit: *Vidimus & planximus Christiani operis unius morte deprehensus, urbi que stipēs quasi in usum pauperum congregatus, stirpi & postremo derelictus.*

MALUS DÆMON. CAP. XIII.

NON imperite igitur Aquila divo Gregorio malignus est spiritus, animarum raptor. Ut vero ita quæ de perniciofa dominatione dicta sunt, quæ omnia ad mundi hujus Principem accommodari possunt jam prætereamus, habet & hoc proprium Aquila: quod pisces ab alto aere conpiscata, eos præcipiti cursu delapsa rapit. Pisces vero animarum hieroglyphicum esse, dictum Commentario suo.

PRINCEPS SIBI TANTUM STUDENS. CAP. XIV.

*Facit aliquatenus
prohiberi
Aquilam
volare do-
cet.
Hadriani
VI. P. M.
vivendi mo-
dus.*

ADjungunt adhuc Ægyptii sacerdotes, Regem tantum rerum suarum satagentem, neque aliorum incommoda calamitatesve miserantem, per quam proposuissent Aquilam ostendi, eam quippe in astruendo nido sollicitam: illa siquidem, in solis excelsis, arduis & præcipitibus locis nidulatur, & omnino longe sublimius avolat, quam volatilia reliqua. Hinc fit, ut ab aliarum avium confortio atque consuetudine sese abducere videatur, qui quidem plerisque Regibus mos est, qualem in Hadriano sexto Pont. Max. viro Batavo vidimus, qui humanam omnem consuetudinem ita advertebatur, ut non nisi propria vel utilitate vel necessitate cogente, sui videndi copiam faceret. Quod si quod raro admodum vidisses, spatium in subiectos Pontificio palatio campos obequitaret, nullis accitis comitibus, nullo, ut Pontificum mos est, aris tinnuli signo dato, iter arripiebat: simulac præcipites, antistitesque & cohors reliqua ex officio assecuti essent, Equum ipse, nullius sublationem motus, citatiore gressu perurgebat, conspectumque omnem hominum, tamquam nihil ad se eorum ingenium pertineret, effugere properabat, seque in intimas palatii latebras occultabat.

PRÆ FAME MORIENS. CAP. XV.

*Fame mori
miserimū.
Homerus
Odyss. μ.
Plato lib. 3.
de Repub.
Arist. 2. de
Et Plin. lib.
10. cap. 3.
Arist. lib. 9.
de natur.
anim.
Psalm. 102.*

QUOD si hominem eo mortis genere periturum, quod Homero Platoni que omnium est miserum, iidem significare voluissent, hieroglyphicum habebant Aquila, cujus rostrum esse nonnormiter incurvatum: senescentibus enim Aquilis rostrum supernum accrescit adeo, incurvaturque subinde magis ac magis, ut nulla demum aperiendi data copia, inedia plerumque deficiant & extinguantur. Hinc illa in bibaces, *Aquila senectus*, exprobatio: quippe quæ amissa edendi facultate, hinc morem assidue sorbillare cogitur, vitamque aliquandiu pertenui ea ope protrahere. Ac ne usquam desint Græcorum fabulæ, commenti illi sunt, fuisse olim hominem, qui hospitem affecisset iniuriam, proindeque deorum ira in Aquilam commutatum, inque sceleris pœnam eo affectum malo, ut satius consumeretur.

JUVENTUS RENOVATA. CAP. XVI.

ADDunt alia quædam juniores, ut illud ex Psalmo interpretentur, *Renovabitur ut Aquila juvenis tua*, quod nescio cur nonnulli legunt, *Revocabitur*, cum Græce sit ἀνακινηθήσεται. Divus Hieronymus Aquilam ait, ubi consenuerit, pennis supra modum gravari, ideoque fontem ab ea quæ cuius aspergine pennas egerat, quibus levata calorem intra se colligit, sanarique tum primum oculos, mox ab immerfatione in juventam redire. Eucherius Aquilas ait vi nimie senectæ implumes fieri, & nido relatas à pullis suis vicissim ministrantibus pasci, donec deterfo senii veterano, cum pennis volat etiam

A etiam usum recipiant. D. Augustinus Aquilam ait senio gravatam rostri immodice crescentis ad- uncitate eo redigi, quod paulo ante dicebamus, ut nec os aperire, nec cibum ullo pacto capere pos- sit: impulsam itaq; naturæ vi, collidere rostrum ad petram, cujus attritu excussa ea parte, quæ redun- dabat, ad cibum redire, atque ita ex eo senio reparari, ut omnino juvenescere videatur. Nostri pe- tram loco hoc Christum intelligunt, proque rostro adunco, pravitatis perversitatisque opera, quod Physiognomici ejus figuræ nasum, uti superius dictum, iracundiæ & rapacitatis indicium esse vo- lunt, hujusmodique homines avâros plurimum alieni appetentes, & ultionis studiosos inveniri. Vitia vero hæc non alia excuti ratione, quam per Christi disciplinam queunt, atque ita pro juven- tutis renovatione animi depurationem intelligunt. Corpus enim nostrum ab adolescentia pergit in senium: verum anima sapientis, pii probatique viri, à senectâ in adolescentiam transmittitur, atque ita homo hic exterior hæccescit, & deficit indies, interior vero eo magis vigescit ac renova- tur, quo diutius in justis honestisque meditatione exercitioque vitam degit. Tale aliquid apud Pla- tonem invenias, dicente Socrate, *Tunc sanæ mentis oculus acute cernere incipit, cum corporis oculus incipit hebescere.*

APOSTOLI. CAP. XVII.

Quod vero legitur in Evangelio Matthæi, *Ubi fuerit cadaver, illic & Aquila congregabuntur*: per *Aquila* *Apostoli.* cadaver, Adamantius Dominicæ passionis mysterium interpretatur: per Aquilas, Apostolos, *cap. 40. 31.* de quibus etiam dixerit Esaias: *Assument pennas sicut Aquila, & current, & non lassabuntur, & ibunt, & non esurient*: sive ut alii legunt, *Current, & non labombunt, iter facient, & non lassabuntur.* Huic inter- pretationi ad stipulatur etiâ Eucherius, qui loco hoc Evangelico pro Aquilæ, sanctas animas accipi tradit, & Salomonicum illud, *Via Aquila in calum, de Christi ascensu intelligi debere contendit.* Quod si ad eruditionem hanc profana etiam adjungere liceat, Antipatri memorabile fertur epigramma, si- ve illud Speusippi fuerit, in Platonis sepulchrum, quem ut divinum antiquitas universa venerata est, cujus ille animam ad sepulchrum è coelo allapsam in Aquilæ speciem agnoscit:

*Δις τὴν πηλὴν βέτηκαε τῶν ἐν τῷ θένι ἢ τινός, εἰπὲς
Ἀστέρην ἢ τῶν οἰκόν δασσοκοπέτας;
Ψυχὴς ἐμὴ Πλάτωνος, δασσοπαιμένης ἐν ὀλύμπου
Εἰκῶν, σῶμα δ' ἢ γῆ γηγενὲς ἀρβίς ἔχει.
Cur, Aquila, ad tumulum hunc volitas? dic: nunquid ab astris
Hic habitare Deum forte aliquem intuita es?
Imo anima extincti sum diva Platonis, Olympum
Quæ colo, sed corpus terrigenum Attica habet.*

*Epigramma
in Platonis
sepulchrum
à D. Laertio
in Platone*

INGENIUM VELOX. CAP. XVIII.

Pindarus cum aliis plerisque locis, tum præcipue Nemeis, ingenii promptitudinem & velocitatem per Aquilam ostendit, sumpta ab eo comparatione, quod prædam etiam valde procul distantem mira pernicitate nanciscatur, visuque ita polleat, ut profundissima quæque prospectet, quæ omnia ingeniorum acumini sunt accommodata. Idem cum Bachilidis & æmulorum suorum gloriam elevat, Corvos illos, se unum Aquilam jaciat, quod promptissimo ingenio nihil non concipiat quantumlibet arduum, & à terra marique remotum, mox & styli velocitate quæcunque conceperit assequatur. Ad hujusmodi rerum amplitudinem alludere mihi videtur Aristophanes Avibus, cum Atheniensibus aut adulatoribus, aut eorum spes inanes elusus, ait, *αἰσπὸς ἐν νεφέλαισι γῆμῶσαι.* Nimirum enim oraculum acceperant Athenienses, fore ut tanto urbes reliquas possent se intervallo relinquerent, quanto Aquila reliquas aves volatu superat. Et Sosithei dictum illud celebre super vi ejus impetuosa:

*Εἰς μυρίαὶς ὀρνίθων αἰσπὸς σέβει.
Una Aquila innumerat exagitat aves.*

*Aquila in
nubibus
oritur.*

NILUS. CAP. XIX.

Atque Aquila hac quidem de causa Nili fluminis hieroglyphicum in sacris Ægyptiorum literis habita: quoniam enim Nilum perniciter currere, tantaque profunditate insurgere, observatum est

Gg

est

Natalis
Com. lib. 4
cap. 6.

niger.
milus

Auctores
Theophras-
tus & E-
schylus.

est primum Promethei tempore : eam enim fuisse Aquilam nonnulli tradunt, quæ Promethei cor cæ- cerperet : quippe cum causas incrementi pervestigare non posset, ab Hercule demum Aquilam co- hibitam, qui fluminis impetum partim aggeribus, partim fossarum derivio coercuerit, Promethei omnes exundationis causas edocuerit. Inter autem vetusta Nili cognomenta AQUILÆ nomen invenias, quod nomen à colore nonnulli dictum putant, utpote qui ut Maro ait, *viridum Ægyptum nigra fecundat arena*, & æquora ab eo colorari Catullus inquit, nomenque illi è limo quem trahit, factum ajunt Etymologici : nam mare in longa inficit spatia, eaque de causa Melas olim & mox Me- lon appellatus Ennio, Aufonio, & aliis : idque etymon in nomine à nigrore Festus & Servius agno- vere.

ALTA COGITATIO. CAP. XX.

Non defuere tamen, qui Aquilam hujusmodi Promethei cor abrodentem, ad mores trahere con- narentur, ac profundæ cogitationis principem significare contenderent. Sed ne diutius in Pro- metheo hæsitemus, quæ nostri super Aquila senserint, potius aperiamus.

DIVUS JOANNES. CAP. XXI.

Sane homines cum solam avium omnium Aquilam esse divinam autement, & antiquitas eam Jo- vi tela gestare crediderit, inde persuasi sunt, quod omnium maxime oculo valere conspexerant, longissimoque intervallo minutissima quæque discernere, Homeri ad hoc accedente testimonio ita dicentis :

ὥς δὲ δισπὸς ὄν ῥά τε Φαίην.
ἔξυπᾶτοιοι δέξασθαι ἰσχυροῦν πετηνοῖς.
Ut Jovis ales,
Cujus acutam aciem perhibent præstare volucres
Ante alias, quotquot celo spatiantur aperto.

Hinc Hom-
erius,
--- Cur in
amicorum
visis tam
cernis acu-
tum, quam
aut aquila,
Aquila
etymon,
ejusq. ad
D. Joan-
nem rela-
tio.

Et hymno Mercurii, ubi Apollo de Mercurii occultatione loquitur, qui ita latitaret, ait, ut neque ipsum vel Aquila, quæ tam acute videt, inspexisset. Hinc Theologi nostri Divum Joannem Evan- gelii scriptorem per Aquilæ hieroglyphicum à di- inis illis vatibus præmonstratum deprehendere. Sane Aquilam (ut nomen etiam interpretetur) ab acute videndo dictam nonnulli ex veteribus as- serunt, utpote qui Aquilam quasi aculam ab acumine dictam velint : quamvis, ut paulo ante diceba- mus, alii ab aquilo colore vocem ducant : est enim aquilus color fulcus & subniger, ab aqua deno- minatus. Utcumque autem, acutissimi visus Aquila est Joannes, qui oculi acie in altissima divini- tatis recessum directa, quæ omnibus maxime superioris naturæ secreta revelavit, cujus facies Eze- chielii visa supremum ex quatuor locum obtinere, qui ad abolendam Ebionitarum hæresim, quæ Christum hominem tantum, non Deum etiam asseverabat, ad altissima remotissimaq. rerum princi- pia præpetibus evolavit pennis, deque penitissimo divinitatis nido nitidissimas ac maxime pelluci- das illas gemmas surripuit, quæ postmodum intuentium oculis quantumlibet conniventibus halu- cinantibusq. micantissimi luminis claritatem attulere. Illic enim erat lux vera, quæ sola lumen mor- talibus elargitur. Hic ille deprehendit humanarum divinarumq. rerum omnium λόγον initio fuisse, atque penes Deum, ipsum denique Deum, ipsam esse rationem, quæ apud nos sub Verbi nomine recepta est : ut reliqua missa faciam, tam multis divinæ sapientiæ luminibus illustrata. Hæc est de- nique illa Aquilæ volitantis effigies, diceret Irenæus, quam sacri prævidere vates, quæ Joannis no- stri beneficio, spiritus in Ecclesia advolitantis gratiam manifestat. Nam hic alte exorsus principium, quod à Patre est, effigiem Verbi, quæ refertur in Filio, & præclaram ejus generationem enarrat : tan- ta cum fiducia rem tam arduam aggressus, ut Aquilæ symbolo merito figuretur. Joannes, inquam, ille altiloquus, quod Aquilæ referatur hieroglyphico, ipsa susceptæ lucubrationis materia sublimis, ait Eucherius, & ab ipso rerum principio repetita, in causa fuit. Proinde cum volatu sublimi in ipsam Dei omnipotentis aulam elatus sit, & oculorum aciem visu præpollens, in admirandæ divinitatis fa- ciem infixit, doctrinam nullo antea mortalium ingenio conceptam ab alto detulit, cujus initium *In principio erat verbum.*

STATU

STATUTA FIRMITER SEDES. CAP. XXII.

A Hoc quoque sacerdotum Ægyptiorum hieroglyphicum fuit, per Aquilam, quæ saxum gestaret, hominem significare, qui firmam stabilemque in civitate, locove aliquo, sedem sibi posuisset: illa enim simulacrum sibi comparavit, quo possit firma & inconcussa rem suam procurare, lapidem quempiam exquirat, quem in nido pro libramento collocet: neque aliam hujus rei causam sacerdotes firmandis navibus, priusquam anchoræ usus repertus esse, id opis saxa contulere, id quod Apollonius Argonautas fecisse scribit, ut minime mirum sit, saxum, etiam in Aquilæ nido positum, infervire stabilitati. Ceterum, lapidem hunc cum esse credere possumus, qui *desphes* appellatur, *Aquilinum* Latini dicunt, ad multa remedia utilem, adque præcipue, quod partum contra omnes abortuum insidias custodit. Idem muliebribus fœminibus adalligatus, quotidiano experimento mirifice prodesse, pariundique facilitatem inducere comperitur. Eo incenso morbum Herculæ, hoc est, furorem, qui plerumque ex atra bili accidit, qua potissimum Herculæ laborasse tradunt, explorari putant. Ina dihi cari nido asserunt authores nostri, nihil igne deperdere, prægnantem esse, alio velut in utero sonante. Sed vim illam medicam non nisi in nido direptis pollere, magorum tradit superstitio: neque tamen in omnium generum nidis inveniri, sed Melænaeti tantum, Pygargi, Morphni, sive ut Homerus, Percni atque Gnesii. Duas vero Aetitis species agnoscit Zoroastres, unum densum & solidum, alterum raram & inanem, inesseque: solido vim illam perficiendi fœtum, & usque ad partus debita tempora continendi. Occurrebant hic multa super lapide significata, quando quidem ex eo ab Aquila in nidum collocato, rerum stabilimentum Ægyptii significare commenti fuerant: eademque firmitas eo Capitoli immobilis saxum referenda videbatur, quæque veteres passim de cultu lapidis sanxissent, utque vel nomen ipsum magni instar numinis aliquando habitum, quæque hic pietas nostra de petra sentiret: sed quoniam nobis cum Aquila res erat, quæ lapidis essent, in commentario, quod est super ædificiorum partibus, transferre, ibique commodius de argumento hujusmodi disserere constituimus, cum multa a huc ad Aquilam pertinentia superessent.

TERRARUM DOMINATIO. CAP. XXIII.

C ET ut longo circumvecti circuitu cursus ad Imperii significatum revertamur, nostræ etiam sacræ literæ, per Aquilam terrarum dominationem intellexerunt, ubi apud Ezechielem legimus: Aquilam visendæ magnitudinis, quæ late passis alis, immani que membrorum ductu, oppleta plumis, varietate insignis, unguibus ferox & minabunda, præpeti volatu ad Libanum applicuerit, Cedrique inde medullam, tenellosque furculos evulserit, tota aliarum frondium summitate decerpta: ad hæc, succis etiamnum vitium seminibus, quæ omnia Babylona translata sunt, ibique fata. Neque huic ab similem alteram adjecere, quæ vitium earum palmites, deprædaretur. Per priorem illam nostri ajunt, Nabuchodonosora Babyloniæ Regem interpretari: per alteram hanc Ægypti tyrannum, quorum prior Hierosolymam cepit, & populum cum Rege ipso Sedechia principibusque aliis in captivitate adduxit: alter vero, cum bellum adversus Assyrios movisset, Israeliticum populum servitutis affectum tædio ad se traduxit. In utroque Rege, Aquilæ hieroglyphicum proponitur, sed longe latior interpretatio est in ea, quæ Nabuchodonosora describit. Alæ siquidem diffusæ, numerosos indicant exercitus, quos ille secum traxerat. Membrorum exporrecta longitudo, regni ejus diuturnitatem. Plumæ nihil aliud sibi volunt, quam divitias, quibus locupletissimus esset. Varietas plumarum, rerum ab eo gestarum gloriam indicat. Armorum horrorem, unguis. Libanus, Judææ claritatem atque celsitudinem longa annorum serie conspicuam: unde ille medullam Cedri avulserit, quippe nobilitatem extirparit, & summas quasque frondes decerpserit, hoc est, ne tenerimæ quidem Regum proli, ætati scilicet infirmæ, pepercerit. Sedenim totam oraculi ænigmatici feriem interpretatur Adamantius in eundem Ezechielem homilia undecima.

AQUILARUM INSIGNIA QUÆDAM. CAP. XXIV.

QUOD vero initio dicebamus Justinianam familiam aurea insignem Aquila, alios huc trahit ex antiquis, quorum claritas gestaminibus hujusmodi innotuerit. Sed illud prius dicam, quod dissimulandum in hujusmodi narratione minime videatur.

Delphi terrarum medium.

Apu^d delphos scilicet, duas fuisse Aquilas ex auro, quod monumentum erat terrarum umbilicum apud eos esse, quem Jupiter ea ratione exploravit, ut Aquilas duas, unam ab Oriente, alteram ab Occidente dimiserit, quæ pernici volatu in adversum allapsæ, supra Pythona factæ obviam sunt quo loco designato, declaratum est ibi terræ habitabilis medium esse, isque honos geminis aquilæ habitus, ut in templo ibidem excitato, aureæ constituerentur. Aque hinc illud innotescit, quod in Maronianis appendicibus legitur:

Meminit Nat. Com. lib. 4. c. 10.

*Pallas Cecropias tuetur arces,
Delphos Pythius orbis umbilicum.*

Ab Apolline autem ad Republicas & milites transire ipso narrationis ordine invitatur; ad eorum igitur insignia quædam ostendenda calamus convertemus: gentilem enim scutorum usum variasque in eis imagines, aut picturas, quæ familiarum indicant stemmata, cognationesque, tamen vix haudquaquam contemnendi, esse hæc recentioris ætatis inventa exiltimarint, nos antiquissimi moris esse, & hic, & alibi toto opere differuimus.

LACEDÆMONII. CAP. XXVI.

Literæ Lacedæmoniorum ad Hebræos.

Namque Aquila, quæ Draconem arreptum gestet, Lacedæmoniorum Republicam ostendit, huiusmodi enim signo literas illi publice obsignabant. Tradit hoc Josephus, ubi literas Lacedæmoniorum recitat Arii eorum regis ad Hebræos Onia Pontifice datas, quarum sententia ea erat, ut profiterentur Lacedæmonii se, per Abrahamum Judæorum esse consanguineos: proinde gentem ipsam hortabatur, ut quæ Lacedæmoniorum essent, pro veteri necessitudine communia dicerent. Epistolam eam Josephus, ait complicatam figura quadrangulæ fuisse, eoque obsignatam argumento, quod supra posuimus. Quod vero designarit epistolam fuisse quadrangulam, alios atque alios indicat complicandarum epistolarum modos, apud hos vel illos extitisse: alii enim paginis, alii tabellis, voluminibus alii in umbilicos complicatis scribere consueverunt.

CLEARCHUS. CAP. XXVII.

Clearcho autem Heraclienstem Tyranno, qui Jovis se filium dixit, in publicum prodeunti aurea Aquila velut argumentum generis præferebatur.

HERCULIANI JUNIORES. CAP. XXVIII.

Ejusmodi coloris Aquila, quippe lutea trunco insidens in parma lutei Sapphiri, cujus marginem eodem colore, sed admodum dilutiore, circulus ambibat, Herculanorum juniorum erat, qui sub Magistro militum Præsentiali militabant: quod in antiquis quibusdam ejus militiæ commentariis inveni apud Maffæos Roma.

HERCULIANI SENIORES. CAP. XXIX.

Herculiani & Joviniani qui.

Seniores vero Herculiani, cæruleam Aquilam alis utrimque passis habuere in rubra parma, cuius latus ambitus in margine lutei coloris erat, quem nigra linea circumducta in partes duas æquidistantes dissecabat. Erant vero Joviniani, sive, ut apud Vegetium est, Joviani, atque Herculiani, Illyricæ legiones duæ, quæ sena millia militum habebant, quos Diocletianus, qui se Jovem Latine vocitabat, & Maximianus, qui pro Hercule se gerebat, cum ad Imperium pervenissent, pro merito virtutis ita nominibus à se inditis, appellandos censuere, eosque cunctis legionibus prætulerunt. Tela vero illis erant plumbatæ, quos Manobarbulos vocabant, eosque portabant scutis infertos, usque opportune jactis hostes equosque priusquam non modo ad manum, sed ad ictum missilium pervenirent, gravi admodum percussione confauciabant, Imperatoresque illi horum opera bella plurima confecerunt.

JOVINIANI JUNIORES ET SENIORES.

CAP. XXX.

Jovinianorum autem, qui Juniores vocabantur, insigne erat Aquilæ apotheosis, redimiculo supra caput imposito. Ales ipsa nativi coloris in parma lutea, quæ rubro primum circulo claudebatur,

A debatur, inde altero sapphirei coloris toto margine complectebatur. E pectore autem Aquila, aureus extabat umbilicus. Seniores vero purpuream gestabant Aquilam in parma carulea: duoque erant pro margine circuli, ruber interior, exterior luteus.

QUARTODECIMANI. CAP. XXXI.

Carulei coloris aliquanto diluti Aquilam gestabant Quartodecimani, qui sub Magistro militum per Thracas militabant. Ea vero ales in alba parma infidebat orbi caruleo desioris luti, intra quem circulus ruber erat, a cuius medio aureus extabat umbilicus. Verum hæc fatis fuerit attigisse, ne opusculum universonum insignibus & gestaminibus faciamus. Hæc atque alia pleraque hujusmodi scriptores rerum memoria prodiderunt, quæ si profequi velim, nullus unquam futurus sit modus: quare manum de tabula, sitque jam super Aquila fatis superque declamatum.

B JOANNIS PIERII VALERIANI
HIEROGLYPHICORUM

LIBER XX.

DE IIS QUÆ PER PHOENICEM, PELECANUM, ET QUASDAM ALIAS AVES
SIGNIFICANTUR

Ex sacris Ægyptiorum Literis.

C AD CLARISSIMUM ACTIUM
SYNCERUM.

Ibi vero SYNCERE ACTI cariss. Phœnicem & Pelecanum, quique in ipsam historia seriem quibusdam veluti laqueis decenti sese invicem implicuerunt, sociatisq; in hunc locum aptissime convenerunt, Noctuam, Cornicem & Passerem, dedicare consilium fuit: Ac Phœnicem quidem ea de causa, quod veluti ille admirabili quadam insigni pulchritudine, visu mirissimus, post longissima temporis intervalla conspicitur: ita Latina lingue nitor, & eloquentia cultus, ornatuq; per tria ferme Phœnicis secula desidentis, ætate demum nostri, beneficio, operi, & labore plurimum tuo suscitati, spectandos sese theatris iam omnibus exhibuere. Pelecanum ob eam, qua præcipue commendaris, in amicos omnes charitatem atque beneficentiam, ut nemo unus hodie magis amico amicus, quam Syncerus Actius esse prædicetur. Noctuam, que tuarum indicium sit lucubrationum, quas Minerva haud quam invita, elegantissimas elaborasti, Cornicem ob diuturnitatem, qua scriptis debetur tuis, non modo uno plus sæculo sed perpetuo summa omnium commendatione victuris. Passerem ob orationis tue Veneres cupidinesque, qua nihil suavius neque jucundius excogitari potest. Sedenim que multa atq; præclara de ingenio tui sublimitate dici possent, ea consulto prætereo, quia tu longe majores quam mea, te capere possit commendatio: qui enim Soli lumen afferre, nisi fatuus quispiam agere dicitur? Igitur cum tuo ipse sis splendore clarus, principatum hinc in licentura candore tuum, sic se præsidio tuentem missum faciemus, quodq; nostrum est institutum, ad animalium que interpretanda suscepimus, significationes converteremur, que quidem quales & cujusmodi sint, quamvis tu eas tum ex Græcis Latinisq; scriptoribus non ignoras tum ex admirabili illa venerabilis antiquitatis tabula ænea, quam simul apud Bembum inspeximus, potes edoceri, que omnem Ægyptiorum historiam antiquiorem, argento atque auro delineatam essentat: Quid tamen & nos super his comperimus, ex ipso Phœnice indicare incipimus.

Gg 3

IN-